







MEMORIA M

VIRI

ILLVSTRIS ET IVRISCONSULTISSIMI

IO. CONRADI SIGISMVNDI  
TOPPII

SERENISSIMI DVVIS BRVNOV' ET LVNEBVRG

A CONSILII AVLICIS

I' V' D' ET PROFESSORIS PVBLICI ORDINARI

ET COLLEGII IVRIDICI SENIORIS

MERITISSIMI

A' D' XXV FEBR' CIO IO CC LVII

SVBITA MORTE EXTINCTI

PRORECTOR ET SENATVS

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE

CIVIBVS ET POSTERITATI

COMMENDANT

INTERPRETE

IO. CHRISTIANO WERNSDORFIO

ELOQ' ET POES' P' P' O

HELMSTADII

EXCVDEB' VID' B' PAVL' DIT' SCHNORR

20

1757,7

9  
//











**V**idete, Ciues, quanta celeritate res  
hominum euertantur. Non caussa  
fontica opus est, ut moriamur: non  
expectanda ualetudo grauis, quae  
uires corporis sensim exhauriat, et  
fatalem horam, praesentientibus  
nobis, afferat. Dicto citius confici-  
mur, atque ut amici nostri subito afflictentur, ut to-  
ta domus, questu, comploratione, gemituque con-  
fusa, in luctus squaloresque conuiciatur, puncto tem-  
poris euenit. Altior quippe hanc mortalitatem no-  
stram uis urget, totque fati terrores hanc uitam in  
occultis quasi insidiis circumstunt, ut ne in horam  
qui-

A 2

qui-



IV

quidem salui simus, et uel robusti florentesque, cauf-  
sis interitus saepe leuissimis, nec opinantes, oppri-  
mamur. Vidistis nuper Illustris et Consultissimi TOP-  
PII, Viri uobis in primis chari, repentinum et im-  
prouisum casum, quo familia florentissima, imo om-  
nis haec Academia, quae communem hunc lu-  
ctum reputabat, grauissime perculsa est. Hu-  
ius quidem prouectam aetatem non ignorabamus,  
sed tamen illa ualitudinis prosperitas et firma  
corporis affectio, qua usus ad extremum diem fu-  
erat, productiorem omnino uitam, saltim non cla-  
dem tam subitam, portendere uidebatur. Illum et-  
iam diem, quem extremum uitae habuit, nulla infir-  
mitate, et ne leuibus quidem motiunculis tentatus,  
sine querela transiit, et multa iam nocte, ea hora,  
qua consueuerat, dormitum se contulit in lectum.  
Quo tamen cum recubuisset, et Deum pie precaus,  
se composuisset ad somnum, spiritum grauiorem so-  
nantiosemque aliquoties duxit, quasi qui arctius dor-  
mitare coepisset: nec uero obdormiuit, sed expira-  
uit. Adeo uerum esse comprobauit exitu suo, quod  
sacer uates et omnis antiquitas inculcat, hominem si-  
mitem esse floris agrestis, qui interdiu splendet qui-  
dem, agrumque ornat, sed uento, sub uesperam in-  
gruente, laesus subito emarcescit. Quodsi uita Con-  
sultissimi TOPPII uobis, Cives, saepius specimen fu-  
it humanitatis atque uirtutis, iam aequae intuemini  
in mortem eius, atque inde documentum capite fragi-  
litate humanae, quod ad perpetuam commentatio-  
nem mortis, si quid aliud, efficacissime uos excitare  
possit. Videtis enim quantis obnoxia casibus, et quam  
in-



V

incerta commutabilisque sit humanae uitae conditio. Quotidie fato poscitur, et ueluti sub ictu stamus, continuo morituri, simul ac uitae nostrae arbiter iuferit. Quare hoc assidue cogitate, et futura praesumite, et quasi in procinctu stete, ut, quodcumque uos summus Imperator euocauerit, exire de statione mortali parati possitis. Viuitis hodie, et ualetis, et fortasse spes longas inchoatis, sed *nescitis, quid serus uesper uehat*

Ad casus tam inopinati nuntium ciuitatem nostram incredibilis moestitia, et paene terror, peruasit. Nemo enim erat paullo humanior, qui cum tantum Virum, et tantopere amatum, et nullo morbo, et tam repentino fato, et remediis in cassum tentatis, et cum tanta amplissima familiae calamitate extinctum audiret, non totus perhorresceret. Mors ipsa, naturaliter horribilis, multas magnasque formidines obiicit, ubi praecursa ingruit; quanto magis, ubi prius opprimit, quam periculum eius sentiat. Miserum luctuosumque spectaculum est, ubi pater familias, diuturno morbo conflictatus, lenta tabe conficitur, sensimque illi temporis momento admoueri uidetur, quod, una cum spiritu eius, praesidium solatiumque domus auferat. Circumstant amici subrites et pallidi, lacrimantur liberi, exanimatur uxor, magna sollicitudo, tristis expectatio, et mortuo eo, iamque deposito, nec lacrimis ullis, nec querimoniis modus. Et tamen calamitas eiusmodi, quod diu ante praecursa est, lenius affligit, mitiusque accipitur. Sed eadem si derepente, et uno quasi ictu, percellat,



VI

quis sensus tanto dolori par videatur, quae oratio imaginem tanti luctus exprimat. Graue est abripi a consortio mariti, orbari patre, amittere praesidium uitae fortunaeque suae: sed amittere ita, ut celeritas ipsa suspicionem mali praeuertat, ut nec supremum uale dicere, nec ultima audire uerba, nec animam fugientem excipere osculo, nec denique parare se tanto luctui liceat, id quidem acerbissimum iudicandum est. Et magnitudinem doloris, quo Amplissima domus Toppia iam perturbata est, fortasse quis aliqua ex parte aestimet, si cogitet, patrem familiaris lugeri a suis, quem ne uoto quidem fingere meliorem potuissent, grauem aequae ac humanum, a quo nullum acerbitatis genus, multa uero indulgentiae et liberalitatis exempla profecta essent quotidie; et eum, quem dignum iudicassent, qui aeternum uiueret, cuius uultum paullo ante, quam extingueretur, hilarem et serenum uiderant, et postridie prensare et exosculari manum salutantes pro more cogitabant, hunc sub noctem ui subita interceptum, et respektive domus florentissimae uno momento afflictas esse. Neque domesticus hic tantum luctus, sed communis Academiae est, omnesque pariter attingit, qui uirtutes eius ad bonum commune natas, qui officii liberalissimi studium, qui merita in Academiam cumulatissima cognouerunt. Subit omnium animos et miseratio familiae, tanto casu perculsae, et iactura Viri, tam publice utilis, et, qui utriusque rationem habeat, quis est, qui non intimis sensibus excrucietur

Sed eiusmodi exitum, quamlibet Academiae gra-  
uissimi-



nissimum, luētiosissimum familiae, ipsi tamen TOPPIO, facere non possumus, quin impense gratulemur. Quid enim non gratulemur ei, qui proximis ab excessu annis, cum de aetate sua iam declinata, et appropinquante fine, saepe multumque cogitaret, ipse repentinum exitum praeoptare se et percipere, frequenter dicebat. Octauium Augustum, SVETONIVS memorat, quoties audiuisset, cito ac nullo cruciatu defunctum quempiam, sibi et suis *ἐνθνασίου* similem precatum esse. Reformidabat nempe cruciatum, qui, magno uirium impendio, ad necessitatem mortis tarde deducit, idque curabat maxime, ne corpori suo, longa tabe confecto, dehonestamentum crearetur, ut qui, in ipsa mortis uicinia constitutus, petito speculo, capillum sibi comi ac malas labentes corrigi, praecepit. TOPPII uotum religione et pietate, quae in eo erat summa, expressum iudicamus. Id enim optabat maxime, ut, cum animo ad Deum erecto quam ardentissime precatus esset, tum subito solueretur. Cupiebat nimirum cito emigrare e uita, quominus aliquo dolore aut cura rerum terrestrium perturbari posset: cupiebat ita, ut toto animo in Deo et rebus diuinis defixo, integer potiretur gaudio coelesti; nec graui demum morbo confectus uideret sollicitudines et lacrimas suorum, uideret calamitatem iam uicinam domus suae. Ipse uero perpetuo religionis pietatisque, Deo deuotae, studio sic constitutum pectus, prae paratumque supremae horae, habebat, ut iussu Dei, subito euocantis, minime deberet pertimescere. Iuris peritus, et iustitiae studiosissimus, non aequo studio persecutus est hanc ciuilem, quanto eam diui-



## VIII

diuinam, a Liberatore generis humani mutuandam, quae uadimonio innixa, quod CHRISTVS pro caussa mortalium sticit, laeta confidensque expectat decretorium illum diem, quo de uita et actionibus hominis cernatur. Quid igitur optabilius esse Nostro poterat, quam subito experiri eam conuersionem, quae aliis quidem formidolosa esset, sibi uero multo iucundissima; quid iucundius, quam subito potiri eo bono, ad quod omnibus adhuc uotis studiisque contendisset. Et magnum quidem gratiae diuinae pignus habuit, uoti sui per omnia a Deo compos factus. Migravit e uita, cum enixissime precatus, uxorem, liberos, seque totum, et res fortunaeque domus suae Deo commendasset. Non ultimum quidem uale dixit suis, non supremum solatium impertit, sed qui eos munitiores fortunatioreque poterat relinquere, quam cum Deo tradidisset, qui, eos curae sibi fore, hoc ipso palam fecit, quod eum, qui commendaue- rat, extemplo ad se recepit. Ipse uero, sic exorato Deo, quasi qui sua suorumque longa negotia, diu- dicata iam lite, relinqueret, ne uerbum quidem am- plius fecit, composuit se, et ad Deum excessit. Ita uero euenit, quod oraculo sacri uatis continetur, id- que, cum de exitu TOPPII audiremus, statim suc- currebat: *Moritur iustus, nemine animaduertente: homines pii obeunt, et nemo intelligit. Adueniente pa- ce, requiescet in cubili suo, qui recte ambulauit*

Sane dulcissima nobis est, semperque erit, recordatio pietatis et religionis, quae in TOPPIO summa fuit, et tristitiam, quam ex eius obitu capi-  
mus,



mus, mirifice mitigat. Haec enim illustris maxime inter reliquas eius uirtutes extitit, ipsique iustitiae, cuius sacerdos erat, singularem quandam sanctitudinem conciliauit, ita ut, qui propius eius mores inspicerent, sibi imaginem in eo uidere uiderentur Iurisconsulti religiosi. Est iam antiquitus proposita Iurisconsultis religio, eorum quasi propria, et a munere iustitiae non segreganda. Notum enim est illud, quod Ulpianus, ex priore memoria repetitum, usurpauit, *Prout religio suggerit.* — Quae quidem maxime uersatur in officio iuris dicendi, postaque est in sanctitate animi, ita semper compositi, ut neque temporibus rebusque externis inferuiat, neque spe cuiusquam commodi, aut metu ullius potentiae uersatus, in alterutram partem inclinet, solumque sequatur illud, quod in causis uerum, et sincerum, et legibus consentaneum est. Est itaque religio quasi conseruatricis et custos iustitiae, et officium eius administrandae dirigit, quod, si iudex eam perfringat atque proculcet, et in iure dicendo gratiae, spei, aut odio uelificetur, fieri nequit, quin ipsa iustitia, cuius sanctum augustumque nomen est, e medio tolatur. Sed iustitia, quam diximus, adstricta est iuri ciuili, et legibus humanis, uersaturque adeo in habendis iudiciis, in litibus ex praescripto legum finendis, ferendaque sententia. Nam IVSTINIANVS, iustitiam definiturus, eam esse dicit constantem et perpetuam uoluntatem, ius suum cuique tribuendi. Ius uero est, quod cuique debetur ex legis sententia. Quam si semper recte candideque interpretatur iudex, neque se ullis corruptelae illecebris a fide ac-

B

qui



x

qui et incorrupti iudicii dimoueri patitur, tum existit religio illa, sociā iustitiae, quae Iurisconsultum apprime commendat. Sed arctior quodammodo, ut dixi, haec est iustitia, uersaturque in causis et acturum. Augustiore inuoluitur Philosophi ueteres, et latissime patentem, nec iuris peritorum propriam, sed omnibus singulisque hominibus communem. Quam dicunt esse animi affectionem, suum cuique tribuentem, et ponunt in ratione quadam societatis coniunctionisque humanae munifice et aequae tuendae, neque adeo ex iure petunt, quod leges, in ciuitate sancitae, constituunt, sed ex alio amplissimoque, in hominum mentibus ingenerato. Quod cum late extendatur, et quid Deo, quid nobis, quid aliis hominibus debeamus, demonstrat, hinc iustitiam, quae in usu huius iuris uersatur, fundere se dicunt in ceteras uirtutes, earumque ueluti parentem esse, ita ut ex isto fonte proficiatur, quicquid ab homine pie, temperanter, liberaliter, benigne, comiterque fiat. Huic igitur iustitiae ipsam religionem subiiciunt, eaque intelligunt uirtutem, quae diuinae naturae curam, cultum, et ceremoniam recte adhibet. Sed CICERONI, qui talia passim disputat, aduersatur Cicero Christianus, LAETANTIUS, et Philosophos in describenda et commendanda iustitia nihil uidisse, contendit. Quamquam enim, iustitiam omnes simul uirtutes completi, fateatur, duas tamen esse dicit omnium principales, quae ab illa diuelli separarique non possint, pietatem et aequitatem. His duobus fontibus constare totam iustitiam, sed caput eius et originem in illo



illo primo esse, in secundo uim omnem ac rationem. Pietatem uero nihil aliud esse dicit, quam ueri Dei notionem, cuius summa sit, ut recte colatur; aequitatem autem appellat studium, se cum ceteris coaequandi, quam Cicero aequabilitatem uocat. Veteres igitur Romanos, ostendit, licet iustitia gloriari maxime consueuerint, ipsam tamen iustitiam ignorasse. Neque enim nosse potuisse, qui, unde oritur illa, ignorauerint, religionem Dei, et primam hanc partem iustitiae cum nescierint, ne secundam quidem tenere potuisse. Religioni igitur LACTANTIVS summam tribuit, in omni genere uirtutis, eamque fontem esse declarat ipsius iustitiae

Quam sententiam in omni uiuendi agendique ratione secutus uidetur Illustris TOPPIVS, et cum pectus sanctissima religione perfusum haberet, ab ea omnem iustitiae exercendae, officiique explendi, rationem petiit. Ipse enim saepe numero ex animi sui sensu pronuntiare solebat, omnia fere perperam agi, et nihil profici legum et disciplinae seueritate, nisi animi contineantur religione et metu Dei. Itaque iustitiam, quam exercuit, uel in foro, uel in actu et administratione rerum, non solis legibus humanis, et iure ciuili circumscriptis, sed augustius quoddam latiusque complexus est animo, quod Deus, illa summa fandi et nefandi diiudicatrix maiestas, animis hominum proposuit, ex ipsa mente diuina delibatum. Inde iusti et aequi notionem duxit, diuinorumque praeceptorum reuerentia ipsum recte agendi studium acuit, et omnem officii rationem rexit. Nam



religione Numinis diuini recte imbutus, illam primum affectus iustitiam est, quae humana conditione superior et diuina est, a CHRISTO promerita, ex eaque constanter seruata reliqua effloruit et redundauit uirtutum series, quae humanam consortionem et communitatem spectant. Scilicet cum pietatem ueram e religione Dei hausisset, non minus inde didicit aequitatem, in qua uim omnis iustitiae esse dixit Lactantius, atque eius tanta firmamenta in diuiniore sapientia esse intellexit, quanta omnis humani iuris disciplina dare non posset. Sciuit enim, Deum omnibus hominibus eandem conditionem uiuendi posuisse, omnes aequa lege saluos uelle, omnes ad imaginem suam condidisse, omnes, contumacia sua perditos, Vnigenae sui Filii sanguine redemisse ab inferis. Haec sane, TOPPIVS intellexit, tantam habere uim et rationem colendae aequitatis, ut, si se ipsum amaret, si suam ipsius salutem ratam esse uellet, non posset non existimare, omnes homines eodem loco habendos, quo haberet se ipsum. Summa igitur, nec ullis corruptelis infringenda, incitamenta habuit earum uirtutum, quae uersantur in tuenda consociatione humana; summa habuit scilicet caritatis miserationisque humanae, abstinentiae, liberalitatis, comitatis, ut optime tenere posset illud, suum cuique. Sic mensuram iustitiae, quam ueteres omnium uirtutum participem esse uoluerunt, melius implere potuit, quam illi, a sacramento uerae religionis alieni. Fuit enim uir iustus, quod pius: fuit uir bonus, quod bonus Christianus, eoque melior Iureconsultus. Adhibuit itaque in causis cernendis et in iure dicundo eam religio-



ligionem, quam leges in Iureconsulto requirunt, eo-  
 que sanctius adhibuit, quod religione Dei arctius  
 constringebatur. Hoc quasi munimento praescriptus  
 restitit cupiditatibus, iuris sanctitatem uiolantibus,  
 summam in rebus agendis constantiam officii, soli-  
 damque fidem approbavit, calumnias iuris, machi-  
 nas, fraudes, circumscriptiones adeo exosus, ut ea-  
 rum rerum nunquam, sine insigni motu et horrore a-  
 nimi, mentionem faceret. Ceteris in rebus humanif-  
 simam liberalissimamque uoluntatem demonstrauit,  
 ut qui neminem aequo animo uideret infortunatum,  
 et plurimos, si qua possent, ope, auctoritate et con-  
 silio enixe iuuit, in tenues autem egentisque adeo lar-  
 gus et munificus fuit, ut ipsius liberalitatis praecor-  
 dia habere uideretur. Neque enim tale quippiam  
 fecit ambitione, aut quo obnoxios sibi faceret, sed  
 sensu humanitatis et caritate admirabili ductus. Qua  
 eius animi affectione maxime idoneus habitus est, qui  
 curandis prouisionibus praeesset, quibus tenuiorum  
 orborumque necessitatibus publice subuenitur. Ita-  
 que iustitiam uitae, in qua splendor uirtutis maximus  
 est, miscuit iustitia Iureconsulti, utramque uero du-  
 xit a religione et reuerentia Dei, cuius ubique tam  
 eximias significationes dedit, ut ab eo exemplum pi-  
 etatis negligentioribus affulgeret, ipseque inter Iure-  
 consultos religiosos, qui Iurisprudentiam rerum di-  
 ninarum intelligentia et insigni pietate consecrarunt,  
 merito censeri posset

Hunc pietatis religionisque sensum a teneris,  
 quod aiunt, unguiculis suscepit e disciplina paterna



et exempli domestici sanctitate, in qua natus educatusque est. Iam enim id agimus, ut ortum, vitam et incrementa Consultissimi TOPPII referamus. Natus est Ithenae, qui vicus primo milliario ab Hanouera abest, anno superioris saeculi secundo et nonagesimo, die XVIII Decembris, GOTSCHALCO, Sacerdote eius loci religiosissimo, et HEDVIGE ELISABETA, Valencampforum gente oriunda, optimis sanctissimisque parentibus, quorum in exemplo et institutis summa habuit uirtutis, mature consecrandae, adiumenta. Inuentem aetatem domus suae formarunt ipsi parentes, et tenerrimum filii animum sanctissimae religionis initiis, et praeceptorum coelestium disciplina, imbuerunt in septimum usque aetatis eius annum. Reliquam pueritiam aliis pluribusque custodibus egit. Quamquam enim pater, multis officiis, quae sacerdotii negotiosissimi procuratio afferebat, implicatus, curam filii recte formandi nunquam deseruit; quod tamen res tanti momenti integrum poscere laborem uidebatur, alios adhibendos iudicauit, qui operam institutionis commoherent. Primum itaque in priuatam disciplinam traditus est BORTFELDO, postea ad sacerdotium ecclesiae Steinwedelensis promotus, et anno huius saeculi tercio, Hanoueram et Cellas delatus, magistrum rectoremque singularem nactus est RHODIVM, quem deinceps coetus sacer, qui Eldingae est, Pastorem habuit. Biennio post in domum paternam receptus, inspectante et cognoscente patre, STISSERSVS erudiuit et ZWICKERSVS, alter in coetu sacro ad siluam Hercyniam Grundensi, alter Goslariae

et



et Hildesiae amplissimo posthac sacerdotio functus. In domestica et umbratili disciplina cum aliquot annos delituisse, merito ueritus pater, ne indoles filii, cuius docilitatem et praeclaros impetus cognouerat, his quasi angustiis compressa, et minus experta uires suas, intra limites ieiunioris literaturae consisteret, amplius dare spatium, quo excurreret ingenium eius, idque transferre in frequentiam scholae et publicis tradere praeceptoribus statuit. Videbat enim, quod **QVINCTILIANVS** existimauit, lumen illud conuentus honestissimi tenebris ac solitudini domesticae praeferendum. Mentem uidelicet, maioribus rebus praeparandam, in umbra quotidiani secreti elanguescere, contra uero in schola publica, quasi in palaestra, cum plures sint concertatores et aemuli, quibus comparari tiro possit, neruos ingenii mirifice intendi atque firmari, idemque uarietate literarum, quae publice tradantur, et lectionum frequentatione uberius ad humanitatem informari posse. Inuitabat maxime schola Hefeldensis, quam tum **GEORGIVS NICOLAVS KRIECK**, uir excellentis elegantisque doctrinae, quem nemo ignorare potest, qui cum literis humanioribus habeat aliquid commercii, lumine ingenii et claritate nominis illustrabat. Hanc in scholam igitur anno **1609** deductus, magnum studiorum doctrinaeque suae compendium fecit. Et enim uim humanioris disciplinae hoc celerius arripuit, quo praestantiores duces inueniebat, **KRIECKIVM** scilicet, quem diximus, et **GVNTHERVUM**, eruditissimum uirum, ecclesiae Altenburgensis posthac Antistitem. Qui cum praeceptiones suas summa  
doctri-



xvi

doctrinae elegantia et uarietate commendarent, et ratione tractandis ingeniis aptissima uterentur, facile effecerunt, ut **TOPPIVS**, adolescens minime segnus, breui egregias in studiis progressionem faceret, et latinarum graecarumque literarum, dialecticae item disciplinae, scientiam recte perciperet. Industriae suae saepius specimina dedit, tum concertando cum aequalibus suis aemulatione honesta, tum publice declamando, semel quidem *de u. randa familiaritate*, atque iterum *de praestantia linguae Anglicanae*. Quo studio eius perspecto praeceptores, qui ingenia discipulorum suorum meliora amice comiterque tractare consueuerant, **TOPPIVM** eximia dilexerunt caritate, peculiariterque fouerunt, et e schola dimissum bonis uotis omnibusque profecuti sunt. Ipse uero memoriam praeceptorum suorum benigne reuerenterque coluit, **KRIEGKII** imprimis, cuius nunquam sine insigni meritorum in se collaudatione mentionem iniecit

Ornatus iam praeclaro artium liberalium instrumento, altioribusque paratus studiis, anno aetatis suae octauo et decimo in Academiam Ienensem commigravit, operam Iurisprudentiae nauaturus. Cui praefulciendam Philosophiam ratus, scholas sapientum frequentauit, **SYRBI** maxime, celebratissimi tum Philosophi, ulteriusque progressus Iuris priuati disciplinam uniuersam ab **HERTELIIS**, **STRVVIIS**, **FRISIIS**, **SCHROETERIS** et **DITMARIS** hausit, Iuris publici scientiam a **RICHARDO**, bibliothecae praefecto, et historiam Germaniae a **STRVUIO** accepit.



pit. Ex his tamen DITMARO se applicuit potissimum, cuius summam in se fidem et humanitatem expertus est, ita ut, facta sibi ab eo post quotidianas lectiones quaerendi, quae uellet, potestate, subinde commodiorem explicationem seorsum acciperet earum rerum, quae sibi in doctrina eius parum plana, aut minus plena instructaque uisa fuerant. Quod reliquum a scholis publicis tempus erat, diligentissime disposuit, et lectione uaria fundum suae scientiae rigauit, idque operam dedit maxime, ut sibi speciem quandam Iuris uniuersi, summam comprehensam, informaret, unde repeteret facile, quae usui essent

His in studiis consummato iam Academiae curriculo, in patriam rediit, et animum adiecit ad forum. Hinc anno 1615 facultate causas agendi a Iudicio, quod Cellis est, summo rite impetrata, opitulari coepit iis, qui litibus impliciti ius suum iudicio persequuntur. Qua in re mature hominum studia et multam existimationem collegit, pluribus forensis operae, nec infelicibus, experimentis, cum grauissimas saepe causas in se susciperet, plurimas etiam, quae iustae quidem, sed agentium uicio fere perditae aut ampliatae essent, restitueret et obtineret. Inter haec saepius agitabat animo consilium sequendae uitae Academicae, tradendaeque aliis Iuris disciplinae, sed prouidentiae diuinae nutu singulari reuocari a uia, quam ipse sibi munire cogitauerat, uidebatur. Nam commode accidit, ut ei cura et institutio duorum iuuenum, natalium splendore illustrium, OTTONIS CHRISTIANI et ALBERTI FRIDERICI a LENC

C

THE



THE mandaretur, quorum alter posthac ad locum in Sanctiore Senatu, regendique Status Consilio, eminentissimum euectus, alter iam in summo Prouocationum iudicio Consilii amplissima floret dignitate. Tanta familiae tam illustris spes cum concredita esset TOPPIO, magnum inde cumulum accedere commendationis suae sensit, magisque elucere coepit. Anno clb<sup>o</sup>CCXIX Secretarii Summi Prouocationum Senatus allectus est supra numerum ordinarium, et, perspecta eius fide et industria, post biennium dignus iudicatus est, qui uice Protonotarii, tum absentis, in eodem collegio fungeretur. Accessit anno clb<sup>o</sup>CCXXII altior locus, et annum salarium. Quibus incrementis auctus, ita quidem uicem sui muneris expleuit, ut industria eius et assiduitas summopere probaretur, sed tamen tempora, quae aliquid otii ab officii functione darent, subsseciua non intermisit ad alias priuatasque commentationes conferre. Cum examinibus candidatorum, ad forum adspirantium, in confesso iudicii instituendis, officii causa crebro interesset, experiundo cognoscebat, multa ingenia in pernoscenda approbandaque Iuris scientia, quod formam eius non satis comprehensam habeant, in plurimas se induere difficultates, ut saepius haereant, nec celeriter explicare possint, quid in quaque Iuris quaestione tenendum sit. Quod animaduertens Notster consilium inuit Iuris disciplinae iusto quodam orbe concludendae, ita ut breuiter definiendo, explicando, comprehendendo, uniuersi Iuris ciuilibus, locis, generibus partibusque suis distincti, quandam quasi formam descriptione et imagine tabularum exprimeret,



ret, quarum sub oculos subiectione et comprehendi nondum cognita celerius, et olim percepta repeti firmitusque teneri, compendio laboris temporisque, possent. Hac descriptione proposita operam suam deposedentibus Iuris ciuilis rationes breui praeceptione explanauit, et, quae informauerat prius et coarctauerat anguste, explicata oratione dilatauit, insigni cum emolumento auditorum suorum, qui operae, **TOPPIO** datae, magnum sibi pretium fecisse uidebantur. Et disciplinae, quam susceperat ille, commodissimae fama mox latius manauit, multorumque excitauit studia, ita ut domus eius discendi causa a pluribus frequentaretur, et summi uiri rationem, quam in tradendo iure teneret, ipsi propius cognoscere cuperent. Quorum etiam auctoritate hortatuque factum est, ut anno **MDLCCXXXVI** descriptionem Iuris, pluribus tabulis comprehensam, titulo *Indicis Iuris ciuilis priuati* inscriptam, foras daret. Inter haec cum legatio publica ad inquirendas ordinandasque res Orientalis Frisiae auctoritate Caesarea mitteretur, abiit cum iis, quibus negotium datum erat, operamque praeclaram praestitit. Sed mortuo **CAROLO VI** Augusto, cum, reuocata legatione, ipse domum reuersus ad publicos priuatosque labores se recepisset, ita quidem numerus eorum, qui se in disciplinam dabant, auctus est, ut omnibus horis occupatus uix pusillum laxamenti haberet. Et quoniam uidebat, rationem docendi a se susceptam magis magisque probari, et illustres uiros, qui sua olim institutione profecerant, id summopere uelle atque optare, horum non minus uoluntati, quam suo bene merendi studio



xx

studio obsecutus, ipsas Institutiones Iuris ciuilibus, quibus, quae in Indice suo summatim exigueque dicta essent, copiosius explanauerat, literis exaratas publici iuris fecit, easque A. clb̄CCCLVI emendatiores locupletioresque edidit

His rebus atque studiis suis TOPPIVS eam de se existimationem excitabat, ut amplioribus ornamentis dignus iudicaretur. Oblatus est ei anno clb̄CCXLIII locus Consilarii in dicasterio aulico, quod Hanouerae est. Quod quidem iudicium dignitatis suae summa reuerentiae significatione prosecutus est, impediabant tamen domesticae rationes, et necessitates priuatae, quo minus benignissimo erga se mandato obsecundare posset. Hunc uero defugiens honorem mox alia auctus est dignitatis accessione. Nam POTENTISSIMVS REX, singulari clementiae documento, et sua sponte quidem, ei nomen et ornamenta Consilarii Aulici attribuit, idque beneficium Ipse eam in partem accipi uoluit, ut quaedam ueluti remuneratio esset multiplicium officiorum, quae TOPPIVS optima fide et dexteritate iam multos annos praestitisset. In quo benignitatis Regiae honore lubenti animo acquiescens, pulcherrimum fidei industriaeque suae fructum capere sibi uisus est, eoque minus grauatus est alias repudiare conditiones, quae posthac aliunde offerebantur, ut qui in rebus gerendis officium magis, quam fructum spectabat, eoque fortunae statu erat, ut aliqua emolumentum specula ad resurgendos murandosque honores minime sollicitaretur. Aliud honoris incrementum annus clb̄CCXLVII  
Nostro



Nostro ostendere uidebatur, cum loco Assessoris in Senatu, cuius a secretis erat, uacuefacto, ipse inter candidatos eius muneris legeretur, multis pro eo nitentibus, quos et auctores sibi, et adscriptores dignitatis suae, habebat. Latis tamen suffragiis res secus cecidit, ipse uero paullo post intellexit, diuinae prouidentiae cura haud male secum actum esse, seruataque sibi prouinciam, qualem ipse dudum ceteris omnibus praecoptasset. Nam cum anno clō CC XLVIII, mortuo Protonotario Senatus Prouocationum, Noster in eius locum suffectus, idque munus iam auspicatus esset, commodum accidit, ut literis SERENISSIMI DVCIS Brunou. et Luneburg. ei prouincia Iuris, secundo loco docendi, in Academia Iulia Carolina, addito Consiliarii Aulci elogio et stipendio opulento, clementissime mandaretur. Ea res Consultissimo TOPPIO plane ex animi sententia successit, qui cum in enodanda Iuris disciplina iam multam priuatum operam posuisset, plurimorumque studia praecclare adiuuasset, multo magis id agere publice, et in luce Academiae, maiore industriae suae fructu, exoptauerat. Hoc cupidius igitur perindulgenti SERENISSIMI PRINCIPIS mandato paruuit, maturatoque itinere in hanc Academiam uenit die XXI Decembris, anni clō CCXLVIII, et die XXX Maii anni insequentis, habita disputatione sollemni, Ordinis Iuridici Decano IO GEORGIO PERTSCHIO, summis in utroque Iure honoribus ornatus est

Officium interpretandi Iuris auspicatus, idem solertia et dexteritate pari continuauit, nec minori cum uolu-



uoluptate. Planissime enim docens maturos discen-  
 tum processus efficiebat, et uicissim profectus eo-  
 rum studium incendebat docendi. Quod ipsum sum-  
 mopere commendare uidebatur insigni comitate et  
 affabilitate sermonis, qua alios etiam conciliare sibi  
 solebat, qui discendi causa non aduissent. Nemo  
 enim facile tractandis benigne animis aptior, aut hu-  
 manitate conditior fuit. Erat praeterea summa in  
 docendo sanctitas, et omnis eius de Iure praeceptio  
 quasi quodam colore religionis tincta. Sic enim suos  
 condocere solebat, ut ius humanum addiscentes,  
 reuerenter et uerecunde haberent, quicquid esset iu-  
 ris diuini, facileque in eum sermonem diuertebat,  
 quo praecepta ad instillandum pietatis sensum et com-  
 mendandam uirtutem salubria interingeret. Atque  
 hanc rationem non solum in scholis suis secutus est, sed  
 passim etiam editis in libris eius significationem dedit.  
 Docendi exercitationes ita persequebatur, ut raro  
 ferari posset, si quid tamen a praebendis auditioni-  
 bus uacaret, enodandis quibusdam Iuris quaestioni-  
 bus et stilo explicandis impendebat, quas quidem  
 pleraque, morte praereptus, reliquit imperfectas,  
 aliquas edidit. Fidei suae, integritatis, et animi in  
 Academiam nostram singularis praeclara saepe docu-  
 menta dedit, plurium officiorum functione, tum eo-  
 rum, quae coniuncta cum professorio munere in or-  
 bem ire per omnes solent, tum aliorum, quae SE-  
 RENISSIMI PRINCIPIS prouisione ei mandata fi-  
 gillatim erant. Decani in Ordine suo dignitatem ter  
 omnino sustinuit: fasces Academiae bis gessit, se-  
 mel quidem A. c1616CCL, et iterum anno hoc pro-  
 ximo.



ximo. Quo quidem magistratu ita functus est, ut quam dudum inter nos comparauerat existimationem humanitatis, prudentiae, aequitatis, multis illustribusque experimentis comprobaret. Anno dclbCC LIII SERENISSIMVS DVX, singulari opinionis, quam de uirtute et pietate TOPPII haberet, documento, commisit ei curam tutelamque iuuentutis, quae parentibus orba et uitae praesidiis destituta sumtu publico educatur. Praeterea anno sequenti conuictum curandarum rerum, quae ad tuendum conuictum publicum pertinent, iussu PRINCIPIS demandatam suscepit, quam tamen superiore anno, cum commeatum acquiescendi a continuatione huius laboris ipse petiisset, annuente Clementissimo PRINCIPE, fere cum ipso magistratu Academico, quem tum gerebat, deposuit et successori remisit. Sed his in muniis gerendis quanta fide et nauitate, et quanto liberalissimae uoluntatis studio se praebuerit TOPPIVS, plurimis notum est, nec excidere eorum animis poterit, quibus cura et officio eius benigne factum est. Sic enim animatus erat Noster, ut aliorum leuare molestias, inseruire commodis, respondere uotis, id pulcherrimum et maxime humanum iudicaret. Itaque in iis rebus, quibus aliorum tenuitati, infortunio, incommodis succurreretur, tam destinatum eius studium, tam indefessus labor fuit, ut pro iis niteretur, tanquam pro suis, et, si quid studio et uoto suo minus succedere intelligeret, insigni animi molestia affici, et quodammodo exeruciari uideretur. Neque uero Academia ipsa recordari unquam TOPPII poterit, quin memoriam meritorum eius, multique laboris

ris



ris et officii, quod ad tuendas utilitates publicas con-  
tulit, grata beneuolentia prosequatur

Ad rem familiarem quod attinet, non caruit ea-  
rum rerum praesidiis, quibus quis fortunatus censerit  
possit. Nam et genere et copiis amplissimus, splendi-  
dam familiam educauit, eaque ornamenta parauit si-  
bi duobus matrimoniis, quibus rem et domum suam  
egregie fundatam expertus est. Primis quidem nu-  
ptiis, A. cl<sup>o</sup> CCXXV d. VIII Nouembr. celebratis,  
iunxit sibi Virginem, multis sexus sui ornamentis insi-  
gnem, FRIDERICAM MARGARETAM, Patre  
IOANNE HANSING, Reuerendissimi Episcopi Of-  
nabrugenſis Cubiculario, natam, ex eaque filiam su-  
cepit IOANNAM MARGARETAM ELISABE-  
TAM, quam A. cl<sup>o</sup> CCXLIX Viro Nobilissimo  
GEORGIO SCHROEDERO, Hereditario Willenbur-  
gi, nuptum collocauit. Decessu Optimaе Coniugis  
praematurō, qui die XXVI Septembris A. cl<sup>o</sup> CC  
XXIX accidit, praestantissima uitae focia orbatus, re-  
medium solitudinis suae opratissimum inuenit in altero  
connubio, quod A. cl<sup>o</sup> CCXXXI die XXVII No-  
uembr. cum Virgine, generis et uirtutum splendore  
Ornatissima, REGINA CAROLA DE VIETH, per-  
auspicato contraxit. Haec filia natu maior est Gene-  
rosissimi Amplissimique Viri IOANNIS IYSTI DE  
VIETH, Potentissimi Borussorum Regis a consiliis  
rerum bellicarum bonorumque regalium, Domini  
clientelarum Golsen, Prierau, Landwehr, et Lide-  
kahle, qui grandis iam natu, et canicie dignitateque  
uenerabilis, morte inopinata Generi sui, quem im-  
pense



pense dilexit, nunc magno senectutis suae solatio caret. Hunc enim summa cum uoluptate animi uidit in matrimonio Filiae suae suauissime uiuere, sine ulla querela: uidit inde stirpem utriusque sexus uberriam, in ornamentum generis sui, effloruisse. Quinque nimirum filios, duasque filias **B. TOPPIVS** e coniugio felicissimo tulit, Ioannem Carolum, qui tamen infans admodum decessit, reliquos superstites, Georgium Augustum, Ioannem Fridericum Iulium, Carolum Guilielmum, Hedvigem Christinam Carolam, Iustum Gerlacum Franciscum, et Ludouicam Vileminam Iulianam. In hac familia, honesto liberalique cultu educata, cum summam spem et uitae suae oblectamentum reposuit, tum maxime fructum educationis et disciplinae suae tulit in filio filiaque, natu maioribus, superiore anno, quem ut uitae suae extremum, sic rebus familiae suae secundissimis illustrem habuit. Nam Filium suum, **GEORGIVM AVGVSTVM**, quem ipse maxime disciplina sua ad capiendam Iurisprudentiae laudem formauerat, in cathedram publicam deductum, et conspectu erudito probatum, mox summis in utroque Iure honoribus ornauit, eo ipso die, qui tum quidem familiae suae ob noua Filii ornamenta laetabilis, sed anno uertente luctuosissimus fuit, sexto et uicesimo Februarii. Aliam uero eodem anno materiam gaudii Parenti comparauit felicissimum connubium Filiae, **HEDVIGIS CHRISTINAE CAROLAE**, quae Viro, Summe Reuerendo **IO. BENEDICTO CARPZOVIO, SS. Theologiae Doctore**, eiusdemque et Graecarum literarum

D

P. P. O.



XXVI

P. P. O. Collegae nostro coniunctissimo, faustis desponsa auspiciis, die XXI Septembris in eius manum conuenit. Reliquam sobolem suam, uirtute elegantiaque pari commendatam, filios maxime, quorum in studio Iurisprudentiae et Medicinae spectata est industria, iam in ea expectatione esse uidit, ut matura inde decora sibi polliceri posset. Quas tamen spes quo minus consummatas uideret, mors repentina intercessit

Extinctus est subito, uti iam diximus, nocte concubia, hora XI post diem XXV Februarii, apoplexia correptus. Corpus eius die III Martii conditorio templi S. Stephani illatum est. Nos DEVM obsecramus, ut Familiae Amplissimae, summa moeroris grauitate afflictæ, uim consolationis diuinæ, qua excitatus dolor mitigetur, uberrimam impertiat, eamque in posterum a lugubrium casuum acerbitate prohibeat, Academiam uero nostratam a plurium detrimentorum periculo, et ab omni imminutione splendoris sui tutam liberamque praestet. P. P. In Academia Iulia Carolina, die XXI Martii, anno salutaris ortus  
clbCCLVII

S C R I.



SCRIPTORVM

XXVII

IO. CONRADI SIGISMVNDI

TOPPII

I N D E X

I. *Index Iuris civilis privati prae- uel recursorius*, siue idea  
 Iuris privati generalis, ita duodecim tabulis adornata, ut VI hebdomadam spatio tiro hac bene imbutus maiores commentarios cum uoluptate intelligere, ac euoluere, lectaque in bonum redigere possit ordinem; difficiliore uero uia ductus, instituta hac methodo, anacephalaeosi breuissima, et duodecim horarum lectione absoluenda, habeat, quod in exercitatione docimastica diligenter examinanti ad quaesita respondeat. Hanouerae 1736. fol. pl. 14

D 2

II.



- II. *Deutlicher Unterricht von denen in Teutschland üblichen Rechten*, nebst einer Tabelle von der Historie der Rechtsgelahrheit, mit vollständigen Registern zum allgemeinen Gebrauch eingerichtet. Dresden, 1742. fol. alph. 6
- III. *Breuiarium iuris feudalis*, IV tabulis ita methodo naturali dispositum, ut cuncta eius principia, tam quoad personas feudum constituentes, quam quoad feudorum naturam, modos acquirendi, retinendi, amittendi, diuersaque iura et actiones uno quasi obtutu oculis et menti subiiciantur, facillimeque mandentur memoriae. Cellis, 1745. fol. pl. 5
- IV. *De auxilio legali uxori Christianae, marito bonis labente nuptae, uel ante concursum creditorum, uel in qualibet eius classe secundum ius commune competente*. Dissert. inaug. d. XXX Maii, 1749. Resp. Friderico Carstens, Wizendorffio - Lüneburg. Helmstadii, 4. pl. 6
- V. *De utilis rei uindicationis speciebus, earumque usu in concursu creditorum*. Dissert. Resp. Simon Hermannio Post, Bremensi. Helmstadii, 1759. 4. pl. 6
- VI. *Unterricht von den Lehn-Rechten, samt den dazu gehoerigen Tabellen des Breuiarii*. Halle, 1752, fol. alph. i. pl. 4



VII. *Immensum lucidissimae, facile tamen consequendae, ueritatis pretium, exemplo Herois fortissimi et beatissimi D. Iulii, Ducis Brunswic. et Luneb. propositum.*  
 Oratio anniuersaria, natali Academiae Iuliae Carolinae 176, die XV Octobr. 1752 habita. Helmst. fol. pl. 5

VIII. *Deductio causallium, et iustificatio querelae nullitatum,*  
 in Sachen des HochFürstl. Braunsch. Luneb. Hof-Raths, Doctoris und Professoris Iuris, Ioh. Conrad. Sigismunds Topps, filiae nomine, und des Koenigl. und Churfürstl. Commissarii Iohann Carl Hansings, Imploranten, Klägere und Appellaten, modo Imploranten und Querulanten; contra des weil. Amtmanns Iobst Henrich Evers nachgelassene Frau Tochter, Augustam Evers, des Koenigl. und Churfürstl. Hof-Gerichts-Assessoris Herrn von der Wense Ehe-Genossin, Imploratin, Beklagin und Appellantin, modo Imploratin und Querulatin. Betreffend. 1) transactionem et debitum, propter deficientem conditionem liberatoriam ante diem, liquidum et purum, 2) informationem iudicis, atque 3) suppletorium iuramentum: nec non 4) conditionem ex l. 3. C. *communia utriusque iudicii* et l. f. C. *de iure deliberandi*, et quidem solummodo ad interesse, 5) abrogandasque clausulas euentualiter liberatorias, ac 6) ex-



- penſas, propter omiſſam litis conteſtationem et temerarium litigium, refundendas. fol. pl. 8
- IX: *De actione redhibitoria et quanto minoris non extendenda ad defectum in bonitate, praecipue rerum fungibilium.* Diſſert. d. IV Maii 1753. A. et R. Georgio Auguſto Topp, Cellenſi. Helmſt. 4. pl. 5
- X: *De diſtinctione inter fructus certos et incertos in pacto antichretico iure Romano non fundata.* Diſſert. inaug. d. XXI Nou. 1755. A. et R. Ioanne Gottlieb Hort, Moeno-Francofurtenſi. Helmſt. 4. pl. 6
- XI: *Explicatio Indicis Iuris Ciuilis priuati prae- uel reſuſſorii, ſue ideae Iuris generalis tredecim tabulis comprehenſi: Das iſt, Syſtematiſcher und Praetiſcher Unterricht zu leichter Erlernung der Gemeinen Rechte.* Helmſtedt, 1756. fol. alph. 4. pl. 9
- XII: *De Patre familias uſufructuario periculum uel caſum peculii aduentitii ſuſtinente, uel non ſuſtinente, et de probatione leuis culpa in adminiſtratione fortis.* Diſſert. inaug. d. XXVI Febr. 1756. A. et R. Georgio Auguſto Topp, Cellenſi. Helmſt. 4. pl. 4½

## I N E D I T A

- XIII: *De impotentia ſolius Iuris naturae ad regendam rem publicam, deque neceſſitate Iuris Ciuilis in unaquaque ciuitate, et cauta eius mutatione.* Oratio aditialis, ſub auſpicio muneris profeſſorii.

XIV:



- XIV. *De uero amore mutuo, potissimo ciuitatis et Vniuersitatis fulcro*, Oratio in aditu magistratus Academici habita, 1750
- XV. *De grato animo*, Oratio, cum magistratu Academico decederetur.
- XVI. *Dissert. de communibus accidentibus contractuum et ultim. uolunt. et quidem Ima de meru.*
- XVII. *Collectio sciagraphica omnium actionum, quotquot in omni Iure conquiri potuerunt*, IX tabulis comprehensa, earumque lustratio Ima.
- XVIII. *Meditatio I et II de exceptionibus.*
- XIX. *De hydra Lernaea mendaciorum et inde oriundarum infinitarum calamitatum reprimenda, et de pectore muniendo et firmando contra ipsorum ignea tela*, Oratio, cum fasces Academiae secunda uice susciperet. 1756
- XX. *De solidis et inexsuperabilibus munimentis sapientiae et religionis, quibus studiosus contra iniurias malefactorum hominum se confirmare potest*, Oratio, sub finem secundi Consulatus Academici habita.
- XXI. *Programma de militia.*
- XXII. *Gedanken von Erziehung der Kinder.*
- XXIII. *Kurtze Anweisung von guten Iuristischen Büchern.*
- XXIV. *Anweisung zu guter Einrichtung der Acten.*



Errat. Pag. X lin. 20 lege benigne







ULB Halle  
005 382 203


3











MEMORIAM <sup>20</sup>  
VIRI  
ILLVSTRIS ET IVRISCONSULTISSIMI 1757,7  
IO· CONRADI SIGISMVNDI  
TOPPII

SERENISSIMI DVVIS BRVNOV' ET LVNEBVRO  
A CONSILII AVLICIS  
I· V· D· ET PROFESSORIS PVBLICI ORDINARI  
ET COLLEGII IVRIDICI SENIORIS  
MERITISSIMI  
A· D· XXV FEBR' CIO ID CC LVII  
SVBITA MORTE EXTINCTI  
PRORECTOR ET SENATVS  
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE  
CIVIBVS ET POSTERITATI  
COMMENDANT  
INTERPRETE  
IO· CHRISTIANO WERNSDORFIO  
ELOQ' ET POES' P' P' O

HELMSTADII  
EXCVDEE' VID' B· PAVL· DIT· SCHNORR